

**LB 3 DE VERBORVM COPIA COMMENTARIVS PRIMUS**

## PERICVLOSAM ESSE COPIAE AFFECTATIONEM. CAP. I

Vt non est aliud vel admirabilius vel magnificentius quam oratio,  
diuite quadam sententiarum verborumque copia aurei fluminis in-  
5 star exuberans, ita res est profecto quae non mediocri periculo af-  
fectetur, propterea quod, iuxta proverbum, Non cuius homini  
contingit adire Corinthum. Vnde non paucis mortalibus vsu venire  
videmus, vt diuinam hanc virtutem sedulo quidem, sed parum fe-  
liciter aemulantes, in futilem quandam ac deformem incident lo-  
10 quacitatem, dum inani citraque delectum congesta vocum et sen-  
tentiarum turba, pariter et rem obscurant, et miseras auditorum  
aures onerant. Adeo vt literatores aliquot hac ipsa de re, si diis  
placet, etiam praecepta tradere conati, nihil aliud assecuti videan-  
15 tur, quam quod copiam professi, suam prodiderunt inopiam. Quae  
quidem res nos commouit, vt partim e mediis artis rhetoricae  
praeceptis ad hoc institutum idonea diligentes, partim quae diutin-  
no iam dicendi scribendique vsu sumus consecuti variaque pluri-  
morum autorum lectione obseruauimus accommodantes, vtraque  
20 de copia rationes aliquot, mox exempla, denique formulas com-  
plures proponeremus; non id quidem conantes, vt libro rem om-  
nem absolute complectamus, sed aedito veluti commentariolo,  
doctis et studiosis viam aperuisse contenti quasique syluam quan-  
dam operis futuri subministrasse; siue quod solo iuuandi studio ad  
25 hoc laboris capessendum adducti, non inuidemus si penes alium  
sit vel tota gloria, modo a nobis ad studiosam iuuentutem aliqua  
manarit vtilitas; siue quod grauioribus studiis addicti sumus quam  
vt in his, vtilissimis quidem illis etiam ad maxima, sed tamen in  
speciem minutis, vacet permultum operaे collocare.

## A QVIBVS INVENTA ET A QVIBVS EXERCITATA COPIA. CAP. II

30 Porro ne quis hoc inuentum tanquam neotericum ac nuper domi  
 nostrae natum aspernandum existimet, sciat hanc orationis varian-  
 dae rationem ab homine doctissimo pariter et diligentissimo  
 Quintiliano locis aliquot leuiter attingi, et nobiles aliquot sophi-  
 stas in compendium contrahendi sermonis viam ostendisse; quod  
 35 facere nequaquam poterant, nisi pariter et explicandi ratione de-  
 monstrata. Quorum si libri extarent, aut si quod admonuit Fabius  
 ad ple num tradere voluisse, non admodum futurum erat opus iis  
 LB 4 meis praeceptiunculis. Accedit ad huius negocii commendatio-  
 nem, quod neutiquam piguit viros omnis doctrinae principes dili-  
 40 genter in hoc genere exerceri. Siquidem extant etiamnum mirabili-  
 les aliquot Maronis experientiae de speculo, de fluuio gelu con-  
 creto, de Iride, de solis exortu, de quatuor anni partibus, de signis  
 coelestibus. Idem satis indicat apolodus ille Aesopicus de vulpe et  
 45 coruo, quem Apuleius mira verborum parsimonia perstringit, et  
 eundem plurimis verbis quam fusissime explicat, exercendi vide-  
 licet ostentandique ingenii gratia. Sed age, quem tandem possit  
 posthac huius studii poenitere, qui Ciceronem videat, illum omnis  
 eloquentiae parentem, adeo huic exercitationi indulsisse, vt cum  
 50 mimo Roscio, familiari suo, solitus sit contendere, vtrum ille sae-  
 pius eandem sententiam variis gestibus effingeret, an ipse per elo-  
 quentiae copiam sermone diuerso pronunciaret?

## AVTORES QVEMADMODVM LVSERINT OSTENTATIONE COPIAE. CAP. III

Quid quod iidem autores non in palaestra solum, verum etiam in  
 opere serio nonnunquam ostentanda copia luserunt, dum rem ean-  
 dem nunc ita cohibent, vt adimere nihil queas, nunc ita locupletan-  
 t dilatantque, vt nihil possis adiungere?

Ir  
 scop  
 pia c  
 in m  
 tissi  
 via c  
 se nc  
 i lor  
 solta  
 golu  
 nent  
 nere  
 sulc  
 del s  
 most  
 brev  
 poss  
 l'ing  
 quan  
 con  
 stess  
 pron

C  
 orat  
 hann  
 stess  
 ora l

Homerus, teste Fabio, vtraque iuxta re mirabilis est, tum copia,  
tum breuitate. Quanquam in praesenti animus non est exempla  
persequi, tamen vnum atque alterum ex vno Vergilio proferemus.  
<sup>60</sup> A quo quid breuius dici potuit quam illud: ‘Et campos vbi Troia  
fuit’? Paucissimis verbis, vt ait Macrobius, ciuitatem hausit et ab-  
sorpsit, ne ruina quidem relictia. Rursum hoc ipsum audi quam  
copiose:

<sup>65</sup> ‘Venit summa dies et ineluctabile fatum  
Dardaniae, fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens  
Gloria Teucrorum, ferus omnia Iuppiter Argos  
Transtulit, incensa Danai dominantur in vrbe’.

‘O patria, o diuum domus Ilium, et inclyta bello  
Moenia Dardanidum’.

<sup>70</sup> ‘Quis cladem illius noctis, quis funera fando  
Explicit, aut possit lachrymis aequare labores?’.

Quis fons, quis torrens, quod mare tot fluctibus, quot hic verbis i-  
nundauit? (Verum hoc exemplum ad sententiarum copiam magis  
referendum alicui videatur.) Lusit et verborum luxurie cum ait:  
<sup>75</sup> ‘Superatne et vescitur aura / Aetherea, nec adhuc crudelibus oc-  
cubat vmbbris?’. Sed hoc Nasoni familiarius est, ita vt eo nomine  
taxatus sit, quod in copia modum non teneat. At taxatus a Seneca,  
cuius totam dictionem damnant Fabius, Suetonius et Aulus Gel-  
lius.

## 80 QVIBVS VITIO DATA IMMODICA COPIA. CAP. IIII

Neque quicquam mea refert, si quibus vel immodica vel perperam  
 affectata copia vitio data est. | Nam in Stesichoro Quintilianus no-  
 tat nimis effusam et redundantem copiam: sed ita notat, vt vitium  
 esse fateatur non admodum refugiendum. Aeschylo probro datur  
 in vetere comoedia, quod bis idem dixerit: *ῆκω καὶ κατέρχομαι.*  
 Interdum Seneca vix fert Maronem eundem sensum bis aut ter ac-  
 cinctem. Et ne frustra longum catalogum recensem, non defue-  
 runt qui M. etiam Tullium vt Asianum ac redundantem nimiaque  
 luxuriantem copia damnarent. Sed haec, vt dixi, nihil ad me perti-  
 nent, qui quidem non quomodo scribendum aut dicendum sit  
 praescribo, sed quid ad exercitationem faciat ostendo, vbi quis ne-  
 scit omnia iusto maiora esse debere. Deinde adolescentiam in-  
 struo, in qua Fabio non displicet orationis luxuries, propterea  
 quod facile quae supersunt iudicio resecentur, quaedam etiam ae-  
 tas ipsa deterat, cum interim tenuitati atque inopiae nulla ratione  
 mederi queas.

## EIVSDEM ARTIFICIS ESSE BREVITER ET COPIOSE DICERE. CAP. V

Iam si qui sunt, quibus vsque adeo placet Menelaus ille Homerius *οὐ πολύμεθος*, rursum displicet Vlysses fluminis instar hy-  
 bernis aucti niibus ruens, si quos impendio laconismus ille et  
 breuiloquentia delectat, ne hi quidem nostro labori debent obstre-  
 pere, quippe quem nec ipsi sint infrugiferum experturi, propterea  
 quod ab eadem ratione proficiisci videatur, vt vel breuissime dicas,  
 vel copiosissime. Siquidem quemadmodum argute Socrates apud  
 Platonem colligit, eiusdem hominis esse scite seu mentiri seu ve-  
 rum dicere, ita non aliud artifex melius ad breuitatem arctabit orationem quam qui calleat eandem quam maxime varia supellectile  
 locupletare. Nam quantum ad